

F. K. 49

(X 202 0890)

Yb
651

32

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQVE
FREIBERGÆ HER-
MUNDURORUM

SENATUI
BIBLIOTHECA

IBIDEM PUBLICA

PRO

INSTAURATIONE SUI

GRATIAS AGIT PUBLICAS,
INTERPRETE

M. TOBIA *Steben* / ConR.

TYPIS BECKERIANIS

proprid. Idus Septemb.

A. S.

M. DC. LXXXIII.

14



4

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the words "BIBLIOTHECA" and "INSTITUTIONE".





SALVE

Ingens Misniæ metalliferæ Gloria,
Dulce Electoratûs Saxonici Delicium,
FREIBERGA!

Salve cum Patribus Tuis Conscriptis,
providentibus sedulò,
ne quid res Tua publica detrimenti capiat!
Illis paternam,

Tibi maternam mei curam debeo.

Embryo eram

Cimmeriis Papatûs tenebris tanqvam
visceribus inclusa,

nunqvam hanc svavissimam lucem adspectura,
nisi Tu quidem obstetrices admovisses manus.

Lucem verò hanc adspexi,
statim ac purior Evangelii lux per Martinum
Lutherum

facra Tua pulpita illustraverat.

Quasi iniquum esset, eam nasci in tenebris,

Quæ variæ doctrinæ lumine
aliquando perfusura erat quamplurimos.

Humi jacebam squalida,

nec fatis digna,

Quam quis tolleret, aut in spem aliquam
educeret;

Tu autem,
MEA FREIBERGA,
me suscepisti, susceptam educâsti, educatam
ornâsti,
Ornatamqve tanquam comptioribus Viris jam
satis maturam dignè collocare
nihil reliqui fecisti.
Tuam in posterum mirabitur Prudentiam,
qvi Curas perpenderit,
Qvas pro me locupletanda impendisti gnaviter.
Tuam omnis posteritas venerabitur
Beneficentiam,
si opes æstimaverit,
Qvibus me excultam voluisti largiter.
Jam ego, qvod ipsa mireris,
Tuo beneficio facta sum Mausoleum,
in quo priscorum Sanctorum custodiuntur
reliquiæ,
omnis Virtutis plenæ:
Jam verè eruditionis sedes,
Jam sapientiæ domicilium,
Jam literarum securissimum sacrarium,
Jam deniqve magnorum animorum,
& quasi Capitolium æternitatis audio.
Vis aliquod ex Antiquitate nomen mihi tribuam?
Amalthea sum,
Non Jovis, qvalem Poëtæ fingunt,
Sed plenarum Jove Musarum Nutrix. In

In me reperis
Venam aureæ doctrinæ,
quæ cum foditur, crescit;
Puteum jugis veritatis,
qui dum exhauritur, impletur;
Fontem perennis sapientiæ,
qui nulla deductione potest unquam exarescere.
Noli, *Urbs Metallifera*,
Metalla tua meis opibus antepondere.
Auro enim & argento cistæ quidem,
non animus expleri potest.
Auro & argento nemo vescitur,
meæ verò divitiæ
Mentis Nectar sunt & Ambrosia.
In me abundè est,
quod Theologi, quod Jure Consulti, quod
Medici,
quod Philosophi, quod Philologi
non tantùm pascant oculos,
verùm etiam animum exsaturet.
Tot ego tantaque beneficia
dum memori mente repeto, nihil magis expeto,
ad laudes Tuas dignè ebuccinandas,
Quàm ut totidem lingvis instructa essem,
quot Autorum nomina
suâ Eruditione Cornu copiarum mearum augent.
Avarâ verò istâ spe si excido,
Quid, ne ingrata videar, porrò eloquar?
Vene-

Venerabor æternùm
Illustrissimam Domûs Saxonicæ Gratiam,
Qvæ complures Munificentiaë suæ rivos
in me deduxit,
ut aridam aliorum tenacitatem uvidam redderet.
Omni commendabo posteritati
Nobilissimum Freibergæ meæ Senatam,
Qvi non credidit, invigilare se posse
utilitatibus publicis,
nisi constituisset publicè,
unde colligendi sumptus,
ne vires meæ deficerent.
Asservabo sanctè
Schönbergiorum, Walwiziorum, Kölbeliorum,
Schönlebiorum, Hilligerorum, Stegiorum,
Horniorum aliorumqve clarissimam memoriam,
Qvi de suis detraxerunt facultatibus,
ut meæ crescerent.
Qvietem precor beatis manibus
Pleusnerianis, Platnerianis, Graunianis,
itemqve cineribus
Molleris, Schellenbergeris, Quellmalzis,
Benewizis, Grefis, Schirmeris,
Qvorum Industria,
dum inter nos viveret,
nullo unqvam consilio, nullo labore mihi defuit.
Indigna omnium,
Qvi me frequentant, favore essem,
nisi Virtutem Tuam admirarer coleremqve
perpetuò, Con-

Consultissime Alberte,
Qvi, ne *Hornianis* Bonis exheres videar,
nullum annum præterlabi pateris,
Qvin Beneficiæ Tuæ vim experiar.
Neqve eorum filebo merita,
Qvos adhuc cura mei tangit,
Ut & distinctiùs & apertiùs
opes meæ constent.
Cui enim bono thesaurus,
Qvem vel nescias, vel usurpare non debeas?
Nunquam verò etiam obliterabitur
Mei *Schönlebi*, *Hilligeri*, *Beyeri*
invieta Sedulitas
& erudita Pietas,
Qvæ virtutes Ipsorum propriæ
amicè indefessas jungunt manus,
ne Summorum Virorum me augendi studio
destituar.
Maeti estote
Hâc erectâ ingenii vestri indole,
Qvotqvot vel laudatæ Beneficiæ
Exemplum,
vel ingenuus variæ doctrinæ amor accendit,
ut de incremento meo cogitetis
qvotidie.
Sic deniqve gratulabor meo interpreti,
eum operam non lusisse,
Qvam Patronorum auspiciis,

mul-

246 654 77
multo devorato pulvere
reculis meis consignandis ac disponendis
impendit lubentissimè.

Cum illo ego, si quid reliqui est,
hanc addo votorum summam:

Ut in publicum Rei literariæ Decus
ac emolumentum.

DEUS Bonarum Artium & Lingvarum

Stator Opt. Maximus

me ab omnibus injuriis,

Quas vel hostium barbarorum ferocitas,

vel rapidi Vulcani voracitas,

vel ipsorum temporum minatur edacitas,

tectam fervet atq; incolumem,

donec

Bibliothecis amplius non erit locus,

Sed unus liber sufficiet,

ex quo disci perfectè possunt.

OMNIA!



lum

10 17

MC

F. R. 49

32

(X 202 0890)

Yb
651

S
BI

IN
N



COQVE
HER-
IM
CUI
ECA
CA
E SUI
AS,
onR.
nb.



4